

SECTIO I.

DE

PRAECOGNOSCENDIS.

CAPVT I.

§. I.

Quemadmodum B. L. in quavis rei cognoscendæ tractatione bonus ordo se commendat : sic & in nostra Juramenti in Libros Symbolicos perlustratione eundem ea, quæ potest fieri perspicuitate observare, non incongruum videtur. Enigitur quædam prius, quam rem ipsam videas, cognoscenda. Hæc autem suo ambitu complectuntur duo : nimirum brevem Librorum Symbolicorum, in quos jurandum, & ipsius jurisjurandi, quod juratur, delineationem. Quod igitur concernit primo Scripta Symbolica, de iis aliquid dicendum in genere & in specie. Illorum definitionem meliorem nescimus, quam qualem nobis *Dn. Preses* ipse in sua non ita pridem edita *Augustana Conf. thetice & Apologetice pertractata*, supeditat. Nimirum quod *Scripta Symbolica sint norma confitendi, proponendi ac defendendi fidem, hunc in finem auctoritate publica conscripta*. Nomen si spectamus, dicuntur sic à Symbolo, quod apud Græcos idem est ac indicium, signum aut tessera, & in militia & in contractu : vid. *Vossius in Diss. I. de Symbol. tribus p. 14.* A Scriptoribus dein Ecclesiasticis vox hæc post Concilium Nicænum de Confessione doctrinæ Christianorum publicata usurpata fuit. *Conf. Dn. Lic. Rechenberg in App. Tripp. p. 7.* Quamquam non desunt, qui verbum hoc aliunde deducere al-
labo-